





4,27.  
1777, 2<sup>b</sup>  
14  
207

COMMENTATIO IURIS PUBLICI GERMANICI  
DE  
PRIVILEGIORVM DE NON ADPELLANDO  
S. R. I. STATIBVS CONCESSORVM  
EFFECTV  
QVOAD QVERELAS NVLLITATIS,  
QVERELAS DENEGATAE SEV PROTRACTAE IVSTITIAE,  
MANDATA DE ADMINISTRANDA IVSTITIA.  
ET ORDINATIONES.

AVCTORE  
**HELVICO BERNHARDO IAVP,**  
IUR. DOCT. ET PROF. PUBL. ORD.



*D. I. Giuff. 1777. Editio secunda*

APVD IO. IAC. ET IO. WILH. BRAVN, ACAD TYPogr.

1792.



---

## CAPVT I.

PRINCPIA GENERALIA DE QVERELA NVL-  
LITATIS, QVERELA DENEGATAE S. PRO-  
TRACTAE IVSTITIAE, MANDATIS DE ADMI-  
NISTRANDA IVSTITIA, ORDINATIONI-  
BVS IN CAM. IMP. VSITATIS, ET  
PRIVILEGIIS DE NON ADPEL-  
LANDO CONTINENS.

### §. I.

**I**urisdictionem summorum Imp. tribunalium tam in mediacos quam in immediatos Imp. ciues vel in prima instantia vel in superiori fundari posse, inter omnes constat. Neque minus expeditum est, in causis mediatorum iudicia Imp. regulariter non in prima, sed in superiori demum instantia judicare posse. Idem dicendum de causis imediatorum. Vid. C. O. C. P. II. Tit. I. §. I. & rubr. Tit. I. Nec obstat C. O. C. P. II. tit. 30., quo cautum est, immediatos, quatenus iure Austraegarum non gaudeant, Camerae iurisdictionem agnitos esse. Idque praxi tribunalium confirmatur, vi cuius in quauis causa contra immediatum ad iudicia Imp. deferenda *iurisdictio fundari*,

dari, h. e. fundamentum *speciale* allegari debet, ex quo iurisdictioni locum esse adpareat.

### §. II.

Ad modos caussas in superiori instantia ad tribunalia Imp. deuoluendi pertinent in primis *adpellatio* & *querela nullitatis*. Neque tamen alia remedia legibus imp. excluduntur. Sic *restitutio in integrum* aduersus sententiam iudicis inferioris in R. I. 1570. §. 69. & R. D. 1600. §. 14. aperte fundata est, quidquid dicant DECKHERR. in *Concord. supremorum. tribunal.* S. R. I. Cap. 10. sect. 2. subsect. 2. n. 27. sqq. & a LVDOLF *Comm. system. de iure Cam.* sect. 1. §. 13. n. 2. Vid. tamen *Conclusum Pleni Camer.* de 7. April. 1702.

### §. III.

Remedium illud contra sententias, quo hodie utimur nomine *quaerelae nullitatis*, neque in iure Romano neque Canonico fundatum est. In Germania quoque ante Seculum XV. incognitum erat. Nec contrarium euincit diploma de a. 1271., a G. F. TEVTHORN. in der ausführl. *Geschichte der Hessen* 5. Band, pag. 617. excitatum. Hinc querela nullitatis sub *adpellatione comprehensa* erat, & iura priuilegiaque de non *adpellando* antiquioribus temporibus indulta generali *adpellationis* denominazione nullitatis querelam omnino excludebant. *Aur. Bull. Cap. XI.*  
§. 3.

◆◆◆◆◆

§. 3. Cap. VIII. §. 2. a PVFFENDORF de priuileg.  
speciatius de iure de non adpell. Hannov. 1730. C. II.  
§. 21. 25. 134. Add. priuilegium ab Imp. Rudol-  
pho Habsburg. ciuitati Vindobon. concessum apud  
LAMBACHER. im Oesterreich. Interregnū. in app.  
n. 91.

Prima mentio querelae nullitatis contra senten-  
tias iudicium inferiorum instituendae occurrit in O. C.  
de 1521. tit. 19. §. 3. tit. 21. Neque tamen reme-  
dium illud hac lege demum introductum, sed ante  
illam iam cognitum fuisse, putauerim, praesertim  
cum nec desint exempla querelae nullitatis contra  
ipsius Camerae Imp. iudicata antea iam adhibitae.  
Vid. de ao. 1498. l. b. ab HARPPRECHT Staats-Ar-  
chiv des C. Gerichts P. II. pag. 407. 408. Add. O. C.  
de 1507. tt. 8. §. 1.

Ceterum, ex quo in O. C. de 1521. & sequen-  
tibus, praesertim in Ordinat. de 1555. P. 3. tit. 34.  
de querela nullitatis & Processu super ea obseruan-  
do dispositum est, formam stabilem accepit reme-  
dium nullitatis dictiōnis, idque iam pro peculiari &  
ab adpellatione diuerso & separato remedio haben-  
dum esse, dubio caret.

#### §. IV.

Errant RÜTTERVS in nou. epit. process. imp. §.  
217. edit. nouiss. 10. CHR. MAJER in teutischen welt.  
A 3 Staats-



*Staatsrecht P. 3. pag. 222. & CAR. FRID. BRAINL in den Lehrsätzen über die Praktik der beiden höchsten Reichsgerichte, §. 584. statuentes, querelam nullitatis non tam pro remedio contra sententias iudicium inferiorum, quam potius pro actione contra magistratum nulliter procedentem, reputandam esse. Neque enim haec querela contra iudicem qua partem dirigitur, ut vel damnum, quod male iudicando litigantibus intulit, resarciat, quod v. c. contingit in remedio syndicatus, vel ad factum iniustum ab eo commissum, de quo quis conqueritur, corrigendum ipse iudex adigatur, quod e. g. obtinere potest in mandato attentatorum reuocatorio; sed manent eadem partes litigantes, eademque causa, quae in nouam instantiam eo fine deducitur, ut factum iudicis nullum tollatur. Hinc non modo in legibus sed tantum non ab omnibus iurisprudentiae Cameralis scriptoribus, prouocationum generi recte adnumeratur remedium nullitatis.*

### §. V.

Secundum O. C. de 1555. P. III. tit. 34. & C. O. C. P. III. tit. 40 querela nullitatis vel *principaliter* s. sola & separatim institui poterat, vel *incidenter* s. iuncta adpellatione. Querelae *principaliter* instituendae locum dabant ad 30. annos usque; incidenter vero tractanda fatalibus adpellationis adligata erat. Falsum igitur est, ante R. I. N. querelas nullitatis in-

❖❖❖❖

7

indistincte adstrictas fuisse limitibus, qui adpellatio-  
nis remedio positi erant; quod praeter rem **CRA-  
ME-  
RO** concessit b. a **CANGIESER** in *Praef. ad Tom.  
II. Decis. supr. tribun. Cassel.* §. 15. & 19. not. mm.  
Neque probatur thesis ista ex R. I. 1570. §. 69. &  
R. D. 1600. §. 14.

### §. VI.


Cum autem, quando pro nulla habenda sit sen-  
tentia, & quando de nullitate principaliter agere li-  
ceat, legibus istis non definitum esset, ad praescin-  
dendos remedii eius abusus sanxit *Recessus imp. no-  
niss.* §. 121. 122. in omnibus prouocationibus a sen-  
tentiis vel nullis vel inquis obseruanda esse fatalia  
interponendae adpellationis; nisi nullitas habeat de-  
fectum insanabilem, sive ex persona iudicis vel par-  
tis litigantis, sive ex substantialibus processus, hoc  
enim casu standum esse dispositioni juris communis.  
Vi huius legis noua nunc obtinet distinctio inter  
*nullitatem sententiae sanabilem & insanabilem*, ita ut  
de sola insanabili nullitate intra triginta annos &  
principaliter agi possit, sanabilis vero intra decen-  
dium semper instituenda & adpellationi iungenda sit.  
Ea igitur, quae de nullitate principaliter instituenda  
legibus antiquioribus sancta sunt, nunc ad nullita-  
tem insanabilem eamque solam pertinent. Et haec  
sola nomen nullitatis, vti querela, quae de ea insti-  
tuitur, nomen querelae nullitatis vnice meretur;  
querela autem, quae de sanabili, quam dicunt, nul-  
litate



litate geritur, nec separatim ab adpellatione propo-  
ni potest, nec alium effectum producit ac ipsa ad-  
pellatio.

Vtrum autem nullitates insanabiles in iis tan-  
tum casibus, de quibus expresse loquitur sanctio  
R. I. N., scil. ob defectum in persona iudicis vel li-  
tigatoris, vel in substantialibus processus, commit-  
tantur; an vero praeter illas aliae quoque nullita-  
tum insanabilium species admitti debeant? non vna  
omnium fuit sententia. Alii enim legis dispositioni  
vnice standum esse putarunt; alii vero vltra R.I.N.  
sanctionem plures adhuc nullatum species, praeser-  
tim quae ex neglectu meritorum caussae oriuntur,  
si nempe contra ius in thesi, vel contra rem iudi-  
catam, vel ex falsa causa falsisue instrumentis, pro-  
nunciatum, vel error calculi insit sententiae, ex iu-  
re communi omnino admittendas esse censuerunt.  
Lites has composuit b. CAR. PHIL. KOPPIVS in *De-  
cisi. Tribun. Cassel. Tom. I. Decisi. 118. n. 20. sqq.*  
vbi ex *Actis Comitiorum Ratisbonensium de annis 1653.*  
& 1654., praecipue ex *Concluſo Senat. Princip. de 1654.*  
April. 1654. & subsecuta *Resolut. Caesar. probauit,*  
*consensu Imperatoris & statuum Imp. nullitates,*  
*quae ex neglectis caussae meritis resultant, pro in-*  
*sanabilibus omnino habitas, sed ex errore & incu-*  
*ria illius, qui deinde Recessum Imperii conscripsit &*  
*concinnauit, mentionem earum omissam esse.* Eius-  
modi vero errorem ius non facere, sed mentem &

VO-



voluntatem legislatorum vnicē respiciendam esse,  
non modo naturae rei, sed etiam analogiae iuris  
publici nostri, conueniens est.

Schol. Non itaque, vti visum nuper est AVG. WILH. MEYER  
in Commentat. de nullitate sententiar. sanab. & insanab.  
R. I. N. determinata, Goetting. 1777. §. 34. erronea ista  
R. I. N. dispositio in singulis Germaniae territoriis reno-  
uanda, sed noua potius lege Imp. corrigenda est. Talem  
legem proposuit L. B. & R. in Projec̄to nouae Ord. Ca-  
meral. P. III. conficienda, Confessui Visitat. ao. 1769.  
tradito, Tit. von Nullitaet - und Nichtigkeit - Sachen, §. III.

### §. VII.

Summa adpellabilis in R.I. 1570. §. 66, 69. & R.D.  
1600. §. 14. statuta ad nullitatis querelam, quae  
principaliter instituitur, iisdem legibus extensa est.  
Idem statuendum de summa adpellabili aucta in R.  
I. N. §. 112. Hodie ergo querela nullitatis, etiam  
insanabilis, nisi obiectum litis summam illam adtin-  
gat, a supremis imp. tribunalibus recipi non debet.  
Non igitur subscrivo doctrinae b. a CRAMER. in sy-  
stem. process. imp. §. 1348. 1352. ANG. CONR. DAN.  
SIPPmanni in system. iurisdict. supr. in I. R. G. §.  
149. not. z. & b. TAFINGERI in Institut. iurispr.  
Camer. Edit. 2. §. 665., qui summam ordinationis in  
querela nullitatis insanabilis, quae principaliter pro-  
ponitur, obseruandam esse negant. Nec obstant verba  
C. O. C. P. II. tit. 31. §. 5. inserta: da man bey Su-  
B chung



chung der Appellationsprocesse zugleich auf die Nullitaet principaliter --- klagen und procediren wolle; nam verba: bey Suchung der Appellationsprocesse zugleich, non inueniuntur in R. I. 1570. §. 69., ex quo passus ille desumtus est, sed ab Auctoribus Concepti Ord. Camer. proprio auctu adiecta, ideoque delenda sunt in reuisione C. O. C., quam speramus; praefertim cum contradictionem in adiecto inuoluit, de nullitate principaliter queri, & querelam adpellationi iunge-re. Neque etiam hic trahi possunt verba R. I. N. bey denenjenigen Nullitaeten, welche insanabilem defec-tum --- nach sich fuhren, verbleibt es bey der Dispo-sition der gemeinen Rechte; haec enim verba vnicre ad tempus, intra quod institui potest querela nullitatis, triginta scil. annorum, respicere, Acta Comititalia lu-culenter docent.

*Schol.* Ceterum haec omnia ad querelas nullitatis a iudiciis statuum Imp. ad summa Imp. tribunalia perferendas per-tinent. Ratione prouocationum vero, quae a iudiciis ter-ritorialibus ad superiora territorii iudicia deferuntur, aliud lege territoriali sancti, & querelas nullitatis insanabilis infra summam adpellabilem adiniti posse, nulli omnino du-bio obnoxium est. Vid. Ord. Supr. Appell. Tribunal. Haf-so Cassel. de 1746. Tit. III. §. 2. & Ord. Supr. Adpell. Tribunal. Hasso Darmstad. de 12. April. 1777. eod. tit.

### §. VIII. De habitu remediorum adpellationis & nullita-tis



11


tis dictio[n]is erga se inuicem secundum leges imperii sequentes generatim regulae notandae sunt:

I. Querela nullitatis sanabilis cum adpellatione pari ybique passu ambulat, adeoque omnia, quae de adpellatione disposita sunt, de hac querela per se iam valent, licet ad eam nominatim non sint extensa.


II. Quod autem ad eam querelae nullitatis speciem, quae super vitio sententiae insanabili instituitur, adtinet, haec quidem illarum legum, quae de modis caussas iudiciarias in secunda instantia ad iudicia imp. deuoluendi generatim quid sanciunt, vel ea, quae de adpellatione dicta sunt, ad nullitatis querelam expresse extendunt, dispositione omnino continetur, vid. cit. C. O. C. P. II. tit. 31. §. 4. 5. Quae vero leges de sola adpellatione praeципiunt, ad querelam nullitatis insanabilis non pertinent, eamque excipere superfluum est, quod tamen factum in C. O. C. P. II. tit. 31. §. 14.

#### §. IX.

An per querelam nullitatis tota caussa principalis ad iudicia Imp. deuoluatur, ita ut non modo de puncto nullitatum, sed etiam de meritis caussae principalis, cognoscere possint? quaesitum est. Diversas sententias vide apud GAIL. Obseru. pract. lib. I. obs. 127. RODING. Pandect. iur. Cameral. lib. I. tit. 33.



tit. 33. §. 16. a LVDOLF. *Obseru. for. P. I.* Obsl. 34.  
pag. 99. 100. TAFINGER. *institut. iurispr. Cam. edit.*  
1. §. 720. edit. 2. §. 672. Sed nemo eorum rem  
solide tractauit & diuersas, quae occurrere possunt,  
visiones distincte & complete exposuit. Evidem  
sic sentio. Primo in iis caussis, quae quoad cauſam  
principalem deuoluti nequeunt ad iudicia Imperii, haec  
de solo nullitatis puncto iudicare posse, eaque cor-  
recta cauſam principalem ad iudicem, a quo pro-  
uocatum est, remittere debere, per se manifestum  
est. Huc pertinent cauſae criminales, C.O.C. P. II.  
tit. 31. §. 14. Idemque quod ad cauſas ecclesiasti-  
cas, si querelam nullitatis in his cauſis ad imp. tri-  
bunalia, quod tamen negamus, deferri posse statuas,  
obtinere concedas necesse est; vid. litterae Corporis  
*Euangel. ad Imperatorem d. 8. April. 1720.* Quoad  
cauſas vero deuolubiles distinguendum est, vtrum  
in iudicio inferiori super meritis cauſae iam pro-  
nuntiatum fuerit, nec ne? Si de meritis cauſae  
nondum pronunciauerit iudex inferior, negamus &  
pernegamus, iudicia Imp. progredi posse in cauſa  
principali, iisdem omnino innixi rationibus, ob  
quas in caſu plane simili per adpellationem ab interlocu-  
toria iurisdictionem imp. tribunalium quoad cauſam  
principalem fundari recte negavit ipſe TAFINGERVS  
in Select. iur. Cameral. Obsl. 23. vehementer enim  
obstat ius primae instantiae statibus imp. compe-  
tens. Ergo, quaestione de nullitate decisa, cauſa  
prin-



principalis ad iudicem competentem omnino remittenda erit. Si super meritis iam iudicatum in iudicio territoriali, iterum distinguo, utrum nullitas, de qua instituitur querela, ex neglectis ipsis causae meritis orta sit, an ex alio defectu. Illo casu quæstionem, num cognitio de meritis causae principalis iudicii superiori competat, Domitianam esse, nemo non videt. Hoc vero casu, si v. c. de incompetencia iudicis, vel substantialibus processus deficientibus, quis conquestus sit, videndum, an querens appellationem quoad causam principalem & remedium nullitatis cumulauerit, nec ne? Priori casu iudicia Imp. causam principalem recte decidunt, per textum expressum in C. O. C. P. III. tit. 40. pr. & §. I.; non vero posteriori casu, deficit enim lex imperii, quæ hanc potestatem tribunalibus imp. tribuat. Neque ea argumento a contrario ex C. O. C. P. II. tit. 31. §. 14. dueto probatur. Nec generatim illa, quæ inter eiusdem territorii iudicia sub eodem principe constituta obseruari solent, ad nexum, qui tribunalibus imp. cum iudiciis statuum imp. intercedit, in horum præiudicium recte adplicantur.

§. X.

Progrederior ad querelan protractæ vel denegatae iustitiae, cuius originem & progressus ex iure Canon. eleganter exposuit IVST. HENNING. BOEHMERVS in pecul. dissertat. Pertinet hoc remedium ad



modos fundandi iurisdictionem imp. tribunalium in caussis mediatorum *in prima instantia*; hinc ad processus *superioris instantiae* species non recte refertur a PÜTTERO in *introd. in rem iudicior. imp.* P. I. Lib. 2. sect. 2. Cap. 8. Licet enim vi legum haec querela deferatur ad iudicem *superiorem*, cui alias in superiori instantia cognoscendi ius competit, adeoque iudex iurisdictione superioris instantiae destitutus potestate querelam illam recipiendi non gaudeat, in casu tamen institutae eius querelae *iudex superioris instantiae*, ob iustitiam in foro inferiori non administratam, ipse *in prima instantia cognoscit*; nec ea denou sub examen reuocat, quae iam peracta sunt coram iudice inferiore, sed caussam in eo statu, quo ab illo relata est, recipit, atque in ea pergit eodem tramite, quo id facere debebat iudex inferior.

Ceterum semper requiritur, ut haec querela contra iudicem iudiciis imp. immediate subordinatum instituatur, neque illa aduersus iudicem intermedium locum sibi recte vindicat.

### §. XI.

Recte a denegatione s. protractione iustitiae *grammen* distinguit b. l. b. a CRAMER *Obser. I. V.* Tom. II. P. I. Obs. 536., cum aduersus hoc alio remedio, v. c. adpellationis, vtendum sit. Errat itaque BRAINL l. c. §. 596. n. 2., contra sententiam *nul lam* querelam denegatae iustitiae admittens.

Nec

Nec in vniuersum locus huic querelae concedi debet, nisi de iustitia negata siue dilata manifesto constet, C. O. C. P. II. tit. I. §. I. tit. 28. pr. ibi: *Kündlich versaget, gefaehrlich verzogen.* Et hoc remedium pro odioso merito habendum est, praesertim si ea perpendas, quae de exitu eius consueto referunt a LVDOLF de iure Camerali, sect. I. §. II. n. 5. a CRAMER in den Wetzlar. *Nebenstunden*, P. 66. n. XI.

### §. XII.

Querela *protractae iustitiae* & querela *denegatae iustitiae* vnum idemque remedium constituant, & in legibus vbique coniunguntur. Distinctio igitur, quam vulgo laudant, inter denegatae & protractae iustitiae querelam omni iuris fundamento & effectu destituta est. Neque ob denegatam iustitiam caussa ad summa tribunalia protinus deuoluitur, sed hoc perinde vt in casta iustitiae protractae prius admitti non debet, quam decretis *promotorialibus*, iisque frumenta adhibitis; vti post BLVMIVM aliosque recte docuit E. M. CHLADENIUS de litteris *promotorial. Caesorum*, §. 5. sqq. Et ita generatim dispositum est in R. I. 1566. §. 108. R. D. 1600. §. 27. licet prior illa lex non satis adcurate inserta sit C. O. C. P. II. tit. 28.

### §. XIII.


Querela de denegata vel protracta iustitia ab adpel-



adpellatione aliquis iurisdictionem in secunda instantia fundandi modis omnino differt, neque adeo leges de hisce remediis latae ad querelam illam pertinent. Ideoque eorum probo sententiam, qui summam adpellabilem legibus statutam in causis denegatae s. protractae iustitiae non attendi docent, cum neque in Tit. 28. P. II. C. O. C., ubi sedes materiae est, quidquam de summa adpellabili obseruanda reperiatur, neque C. O. C. P. II. Tit. 31. §. 5. huc extendi queat. Non mouet, ut ab hac opinione discedamus, argumentum, quo vst sunt rütervs in introd. in rem iud. imp. §. 424. & CRA-MERVIS P. I. Obseru. 117. §. 5., quod per querelam denegatae iustitiae causa principalis non minus quam per querelam nullitatis deuoluatur ad Imp. tribunalia, cum lex non adsit, quae summam adpellabilem remediis deuolutiuis generatim paescribat, & C. O. C. P. II. Tit. 31. §. 4. 5. de remediis secundae instantiae vnice disponat. Videndus omnino SIPMANNVS l. c. §. 99. not. oo.

#### §. XIV.

*Mandata de administranda iustitia, contra iudices tribunalibus imp. immediate subordinatos adhiberi solita, neque pro specie processuum super denegata iustitia, licet cum iis concurrant, neque pro singulari & proprio remedio, haberi debent; sed speciem mandatorum S. vel C. C. constituunt, quae vi O. C. P. II.*




P. II. tit. 23. contra immediatos, etiam in causis regiminis & administrationem iustitiae concernentibus, positis terminis habilibus, decerni possunt. Vid. TAFINGERVS l. c. §. 558. edit. 2. Hinc ad modos iurisdictionem fundandi in *immediatos* proprie referenda haec mandata, licet eo ipso in causis mediatorum coram iudiciis territorialibus pendentibus vim exferant.

§. XV.

Quidem haec mandata ad ipsa *iudicia territorialia* potius, quam in personam principis, dirigi consueverunt; ut tamen vera eorum natura & indeoles eruat, ad genuinum illorum fundamentum recurrentum est. Non *iudicis superioris* in mediatorum causis *instantiae* personam in iis decernendis sustinent iudicia imperii, neque igitur tam late eius remedii, ac v. g. adpellationis, quae ob quodcumque grauamen datur, pater ambitus. Potius *supremam inspectionem* hic nomine Caesaris exercent tribunalia imperii quoad ea, quae in administranda iustitia a curis Principum pendent. Iam cum Principes Imp. in meritis causae ipsi non cognoscant, sed in hunc finem iudicia pluresque instantiae constituae sint, mandata de administranda iustitia *proprietatum* quod ad ea capita, quae constitutiva iudicij, v. c. competentiam iudicis, modum procedendi legalem, &c. concernunt, non vero quoad merita causae (quo e.g. pertinent mandata de non grauando

C

con-




contra priuilegia, de non turbando in possessione vel quasi iuris vel immunitatis &c.), locum habere, sed haec in superiori instantia discutienda esse, contendo.

Cum tamen summa imp. tribunalia vtraque cognitione, tam ea, quae in superiori instantia, quam illa, quae per mandata de administranda iustitia exercetur, regulariter instrueta sint, & id genus mandata, propterea quod caussam principalem non deuoluant ad iudicia imp., sed eam ex praescripto in iudiciis Statuum tractandam relinquant, insignem prae aliis remediis utilitatem praestent litigantibus; eiusmodi mandata in praxi etiam quoad merita causae admittuntur, & admitti possunt, modo iurisdictionis tribunalium imp. in superiori instantia eatenus fundata sit. Hinc in praxi mandata de administranda iustitia etiam cum remediis superioris instantiae concurrunt.

### §. XVI.

De reliquo, leges imp. quae in caussis subditorum contra Principem litteras pro informatione ante omnia decernendas esse volunt, ad haec quoque mandata de iustitia administranda pertinere, ambigendum plane non est. Vid. R. I. N. §. 105. R. V. de 1713. §. 10. II. Capitul. Caesär. nouiss. art. 19. §. 6. 7. quibus adde Conclusum Visitat. nouiss. de 1769.


### §. XVII.



## §. XVII.

Nouioribus temporibus in Cam. Imp. inualuerunt *Ordinationes*, de quibus, praeter scripta 10.  
PHIL. HAHNII, b. a CRAMER, & CHR. IAC. a  
ZWIERLEIN, commendanda est dissertatio PETR.  
IOS. FRANC. XAV. CRAMERI a CLAVSPRVCH, sub  
praesidio FRANC. ANTON. DÜRR. Moguntiae 1776.  
defensa. Ante omnia notanda est regula, ad qua-  
lemcunque ordinationem decernendam fundatam es-  
se debere iurisdictionem Camerae, illi vero locum  
non esse, quatenus haec non fundata vel dubia sit.

Schol. Ergo neque per modum admonitionis, sub forma-  
la: *Man versiehet sich*; neque alio modo, decerni poterit  
ordinatio, ne prouisorie quidem, in casu iurisdictionis  
plane non vel nondum fundatae. Obicit quidem b. L. B.  
a CRAMER in *Obseru.* Tom. II. P. II. Obs. 779. §. 6., in-  
feriorem tamen iudicem intuitu officii sui semper subordi-  
natum manere superiori. Add. a LVDOOLF de iur. Cam.  
Sect. I. §. 13. num. 17. Sed cum ipsis Imperii legibus  
iurisdictionis imp. tribunalium in iis quoque casibus, quibus  
de prouocationibus & querelis contra iudices subordinatos  
ad ista tribunalia perferendis agitur, limitata & restricta  
fuerit, ultra hos limites, quos sancte seruari praecipiunt  
leges, subordinatio illa extendi non potest. Vid. a CLAV-  
SPRVCH l. c. §. 28. 31. Nec, vbi fundata non est iurisdi-  
ctio, decretis processuum denegatoriis recte adnectuntur  
ordinationes, circa facta vel grauamina futura, quae de-  
mum metuuntur, disponentes; v. c. *Abgeschlagen*, jedoch  
*versiehet man sich zu* ----, das *Er Appellanten rechtliches Ge-  
heer verstatten, und ihm unpartheyische Justiz ertheilen werde*;  
vel:



vel: es werde Derselbe, den an dieses K. C. Gericht genommenen Recurs dem Supplicanten nicht entgelten zu lassen, von selbsten geneigt seyn.

### §. XVIII.

*Ordinationes* in genere sunt decreta, quibus Camera Imp. in caussis coram se pendentibus ad instantiam alterius partis, altera parte inaudita, quoad merita caussae aliquid decidit. Non igitur agnosco *ordinationes*, quas vocant, *iudiciales*, quae audita altera parte per sententiam ferri dicuntur; hae enim sententiae sunt, non *ordinationes*, nec generatim nomen *ordinationis* ad alias decretorum vel iudicitorum species, de quibus, quomodo & quando locum obtainere debeant, legibus iam prouisum, transferri fas est.


### §. XIX.

*Ordinationes* sunt vel *antecedaneae*, vel *principales*, vel *accessoriae*.

*Antecedaneae* sunt, quibus adhuc denegantur petitio processus, &c., ad grauamen breui manu tollendum, alteri parti vel iudici a quo aliquid iniungitur, ita ut hoc non praestito recursus ad Cameram reserueretur. Exempla habet PÜTTERVS in nou. epit. process. imp. edit. nouiss. §. 272. not. b.

*Principales* sunt, quae loco alius petiti generis processus ita decernuntur, ut aliquid in causa principali simpliciter praecipient.

Ac



Accessoriae sunt, quae vel in initio, vel in progressu causae, aliis decretis adnectuntur, & de pun-  
ctis incidentibus disponunt. Sic v. c. litteris pro in-  
formatione adnecti potest inhibitio temporalis, vel  
praestatio debitaram collectarum subditis interim in-  
jungi, vel de alimentis praestandis prouisorie co-  
gnosci.

§. XX.

Iam, quid de singulis hisce ordinationum spe-  
ciebus statuendum sit, videamus. Evidem quoad  
ordinationes antecedaneas supponendum est, primo,  
iurisdictionem Cam. Imp. ad effectum decernendi pe-  
titos processus omnino fundatam, esse, deinde, si de-  
creta & insinuata ordinatione, iudex vel pars morem  
haud gerat pracepto, non executioni dandam esse  
ordinationem, neque mandatum de non contraue-  
niendo ordinationi, sed processus antea peritos de-  
cernendos, & ita via modoque ordinario omnia nunc  
peragenda esse. His vero obseruatim, ordinationes  
antecedaneas, quae modum, decretis quidem pro-  
cessibus sed eorum expeditione adhuc suspensa judi-  
ci a quo, ut breui manu tollat grauamen, per re-  
scriptum injungendi, in Consilio Imp. Aulico visita-  
tum, imitantur, ad euitandas longiores litij am-  
bages, praesertim in causis minutioris obiecti, ma-  
gnam omnino utilitatem adferre posse litigantibus,  
nec sine fructu adhibitas hucusque esse in Camera  
Imperiali, negari non potest. Neque etiam ullo mo-


C 3

do



do fraudi esse possunt iudici vel parti; his enim integrum est, vel parere ordinationi, vel ordinarios exspectare processus. Hinc ordinationes eas non abrogandas, verum earum usum prudenti iudicantium arbitrio committendum esse, putauerim.


Aliud dicendum videtur de ordinationibus principalibus, in primis si modum procedendi post emissam ordinationem usitatum perpendas. Cum enim his ordinationibus neque terminus ad docendum de partitione praefigeretur, neque reproducere iniungeretur, exceptionibus a parte impetrata contra ordinationem proponendis locus in Cam. Imp. concedi non poterat. Itaque ad preces impetrantis vel veterioribus, imo poenalibus, ordinationibus, quas insequebatur mandatum de exsequendo, progredi, vel mandatum de non contraueniendo ordinationi S. C. decernere solebant, quo posteriori tamen casu iterum praecidebantur exceptiones sub - & obreptionis aduersus ipsam ordinationem proferenda. Cum igitur ordinationibus principalibus pars, aduersus quam diriguntur, inaudita condemnatur, quod ne in mandatis quidem, quae S. C. decernuntur, permittunt leges, substantia processus in hoc pronunciandi modo minime obseruari, palam est. Fuerunt quidem, qui ordinationibus illis citationem ad docendam partitionem iungendam, & deinde, facta earum reproductione, perinde ut in processu mandati progre-



grediendum vltterius esse putarunt, sed nouum inde  
oriretur mandatorum genus, quale introducere ne-  
que necessarium neque vtile foret. Hanc ergo ordi-  
nationum speciem omnino prohibendam esse, dubi-  
tari vix potest.

Quod denique ad ordinationes accessorias adti-  
net, has quidem, praesertim quae primis processibus  
vel decretis iunguntur, tolerari, & ex prouido iu-  
dicis arbitrio adhiberi, legibus haud aduersum vide-  
detur; vt taceam, illam ordinationem, quae tempo-  
ralem statuit inhibitionem, in R. V. 1713. §. II. fun-  
datam esse. Nec ea, quae ordinationes principales  
abrogari suadent, ad accessorias adplicanda sunt; pos-  
sunt enim hae ordinationes, prout id contingit in  
mandatis attentatorum reuocatoriis, ad caussam prin-  
cipalem reproduciri, & res deinde judicialiter tracta-  
ri, & vel ante decisionem caussae principalis per  
sententiam decidi. Ceterum, simul ac processus iu-  
dicialis in Cam. Imp. initium factum fuerit per re-  
productionem, decreta extrajudicia & ordinationes,  
quae inaudita altera parte emittuntur, in progressu  
caussae non facile nec nisi ex caussis vrgentissimis lo-  
cum sibi vindicare, vix est quod moneam; sicut etiam,  
vbi prouisorie quid decernit Camera, limites, qui  
in decretis prouisionalibus obseruari debent in vni-  
uersum, v. c. ne caussae principali fraudi sint, cu-  
stodiendos esse, dubio caret. Vid. CRAMERV. in  
*Obseru. iur. vnu. T. II. P. II. Obs. 779. §. 8.*

Schol.



*Schol.* De abusibus ordinacionum tollendis, & remedio rei  
huic noua lege quaerendo, actum est in Consessu Visitat.  
nouiss. Sed, postquam a Collegio Camerali, Collegio Ad-  
vocatorum & Procuratorum Cam., & Directore Cancellariae,  
informationes exactae & exhibitae, & deliberationes  
super illa materia institutae fuerint in annis 1770. & 1774.,  
nondum tamen Conclusum quoddam infecutum est; vt igitur  
omnis res, secundum *Conclusus. Imp. de 23. Oct. & 15.*  
*Dec. 1775. §. 28. n. 3.* nouam adhuc expectet legisla-  
tionem.

### §. XXI.

Ius concedendi priuilegia de non appellando Impe-  
ratori competit, prouide tamen exercendum secundum  
Capitul. nouiss. art. 18. §. 6. Priuilegia haec vel  
illimitata sunt, quae omnes adpellations ad iudicia  
imp. deferendas in totum prohibit; vel limitata,  
quae adpellandi libertatem certo modo restringunt,  
quod fieri potest siue maiore summa adpellabili sta-  
tuta, siue solemnibus aut formalibus adpellationis  
autem, siue quodam caussarum genere ab adpellatio-  
ne exempto. Ius de non adpellando illimitatum S.  
R. I. Electoribus competens iam in A. B. Cap. XI.  
§. 3. fundatum erat, hodie tamen ex nouioribus,  
quae singuli Electores sibi concedi curarunt, priuilegiis  
potissimum diiudicandum videtur. De his &  
aliis eiusmodi priuilegiis vid. *Corpus Iuris Cameralis,*  
*Francof. 1724. in appendice, a LVDOLF in Catal. pri-  
uilegior. S. R. I. Elector. Princip. & statuum, Wetzl.*  
*1740. adiecto quoque Commentat. System. de iure Ca-*  
*me-*


merali, IO. IAC. MOSERVS, Vir summus, von der  
teutschen Justitz-Verfassung, P. I. Libr. I. Cap. 6. &  
b. TAFINGERVS in institut, iurispr. Cam. edit. 2. §.  
648. 649. ex quibus praecipue memoramus priuile-  
gia de non appellando illimitata SERENISSIMIS  
LANDGRAVIIS HASSIAE CASSELLANAЕ d. 7. Dec.  
1742. & SERENISSIMIS HASSIAE DARMSTADINAE  
LANDGRAVIIS d. II. Mai. 1747. indulta.

### §. XXII.

Haec priuilegia ideo peti & concedi solent,  
quod res iudicaria in territorio bene ordinata, &  
subditorum saluti pluribus iudiciis & instantiis con-  
stitutis optime prospectum sit, vt opus non sit, rem  
coram iudiciis territorialibus ventilatam diuturniori-  
bus litium ambagibus, in tanta causarum, quae ad  
iudicia Imp. deferuntur, multitudine, inuolui. Con-  
cessorum vero de non prouocando priuilegorum ea  
est vis atque potestas, vt nulla amplius prouocatio,  
quatenus eam vetant ista priuilegia, locum habere  
possit, adeoque eatenus subordinatio iudiciorum ter-  
ritorialium sub iudiciis Imp. in thesi sublata sit; hinc  
priuilegia de non adpellando eo, quod quis de ma-  
nifesta iniquitate queratur, interuerti nequeunt, nec  
quidquam interest, vtrum is verum sibi illatum esse  
grauamen probare velit nec ne, cum, si vel maxi-  
me commissa sit iniquitas, non tamen, deficiente  
quippe subordinatione, ad summa Imp. tribunalia

D

diri-



dirigi possit adpellatio, sed alia remedia tunc adhibenda sint.

§. XXIII.

Quemadmodum vero in iis caussis, quae summa adpellabilem legibus statutam non adtingunt, remedio transmissionis auctorum in vim reuisionis prospexitum fuit grauatis in R. D. 1600. §. 16. R. I. N. §. 113., ita Principes Imp., iure de non adpellando, praefertim illimitato, praediti, in locum supremae instantiae, quam antea coram Imp. tribunalibus sortiti erant subditi, noua *adpellationis* vel *reuiisionis* *tribunalia* in suis territoriis surrogarunt. Id quod ab ipsis Imperatoribus, dum eiusmodi priuilegia concederent, quandoque iniunctum fuit. I. P. O. art. 10. §. 12. *Priuilegium Mogunt. de 30. April. 1654. Priuilegium Elecotori Treuirense d. 30. Sept. 1721. concessum. add. 10. AD. THEOPH. KIND de orig. & fat. curiae prouinc. supr. in Saxonia, Lips. 1773. §. 12.*

*Schol.* Vbi, impetrato priuilegio de non adpellando limitato, adpellationum tribunalia instituta sunt, optio deri sollet litigantibus, utrum in caussis adpellabilibus ad ipsa, an ad tribunalia imperii, adpellare velint. Aliud olim obtinuit in *Hassa Darmstadina*, antequam priuilegium de non adpellando illimitatum concessum esset. Nam, in casu etiam summae adpellabilis, a sententiis Dicasteriorum Darmstadiensis vel Gifseni caussas prius ad iudicium supremum adpellationum, quod Darmstadii est, deferri debuisse, lateque demum ibidem sententia vltiorem ad suprema imp. iudicia prouocationem perduci potuisse, patet ex sententia in

in causa *Henr. Volk contra Casp. Volk* ao. 1692. in Cam. Imp. publicata, qua appellatio per salutem facta reiecta fuit. Mentionem eius praeiudicij & obseruantiae inde deductae iniecit b. WEBERV in epistola dissertationi de licto per querel. nullit. ad summa imp. dicasteria recursu in causis alias vel per priuileg. vel per legem ab illorum iurisdictione exemptis, Giss. 1725. adiecta, pag. 102. Ad hanc obseruantiam prouocatum est ao. 1730. in causa der Schmutzischen Tochter contra Senft von Pilsach.

#### §. XXIV.

Suprema haec adpellationum tribunalia vel ita constituta sunt, vt aduersus eorum sententias locus relietus sit remedio reuisionis, accedente in primis auctorum transmissione, vel ita, vt haec iudicia in suprema omnino instantia cognoscant, nec remedio reuisionis contra illorum effata vti possint litigantes. Pender hoc a prouida Principis dispositione, qui, perensis omnibus circumstantiis, & vbi non modo instantias inferiores bene ordinatas, sed & ipsum summum tribunal ad legum normam compositum esse animaduerterit, remedia contra sententias in aliis iudiciis vslata prohibere omnino potest, vt certus sit litium finis, nec instantiae nimium augeantur litesque protelentur. Quam in rem conferri merentur, quae statuuntur in dem Project des Codicis Fridericiani Marchici P. II. tit. 7. §. 8. Neque ea, quae de remedio reuisionis in causis infra summam adpellabilem locum habente legibus Imp. disposita sunt,

D 2



sunt, huc adplicari possunt; cessat enim hoc beneficium, vbi, vi priuilegii de non adpellando, praesertim illimitati, iudicia adpellationum vel reuisionum constituta sunt, cum per haec grauatis, quod satis est, prouisum sit. b. a CRAMER in *System. process. imp.* §. 1301. 1303. not. & in den *Wetzlar. Nebenstunden* P. 123. n. 5.

*Schol.* In *Ord. Supr. Adpell. Tribunal. Hasso-Cassel.* de 1746. tit. 7. statutum est, aduersus sententias eius tribunalis remediis supplicationis, reuisionis, & transmissionis actorum locum non esse, nec alia remedia partibus concedi, nisi restitutionem in integrum ob nouiter reperta, & remedium syndicatus. Idem sancitum in *Ord. supr. Adpell. Tribunal. Hasso - Darmstad.* de 12. April. 1777. eod. tit.

## CAPVT II.

### DE EFFECTV PRIVILEGIORVM DE NON ADPELLANDO QVOAD QVERELAS NVLLITATIS.

#### §. XXVI.

Vrum priuilegia de non adpellando, S. R. I. Statibus indulta, nullitatis etiam querelam ad iudicia Imp. deferendam excludant, nec ne? ab antiquioribus Doctoribus iam disputatum est. Vid. PFEFFINGER. in *Vitriario illustrato*, Tom. III. Lib. 3. tit. 8. §. 29. not. n. nr. 13. ibique adlegati. E recentioribus, qui querelam nullitatis, praesertim infa-


fanabilis, priuilegiis de non adpellando prohiberi negant, commemorandi in primis sunt b. a LVDOLF in *Commentat. system. de iure Camerali*, sect. I. §. 14. membr. I. n. 7. & b. l. B. a CRAMER in *Obseru.* I. V. Tom. I. Obs. 172. & in *system. process. imp.* sect. III. tit. 2. §. 1351. sqq. quos secuti sunt RÜTERVS & b. TAFINGERVS. Contrariam sententiam defenderunt inter alios a PVFFENDORF in *Obseru.* iur. viii. Tom. III. Obs. 102. & b. LEONH. HENR. LVD. GEO. a CANNIGIESSER in *Praefat.* ad Tom. II. collectionis decisionum supremi tribun. adpell. *Hasso-Cas-*  
*sel.*

### §. XXVI.

Vt vero rite formetur status controuersiae, no-tandum ante omnia, de insanabilis, quam vocant, nullitatis querela hic vnicē quaeri posse. Quod enim ad querelam nullitatis *fanabilis* attinet, hanc non nisi iuncta adpellatione proponi posse, adeoque, vbi cessat adpellatio, per se & ipso iure excludi, ex iis, quae supra §. VI. & VIII. dicta sunt, abunde patet. Neque igitur eam priuilegio exprimere opus est, cum & illa priuilegia, quae de sola adpellatione sta-  
tuunt, ad querelam istam recte adplicantur.

### §. XXVII.

Quod autem pertinet ad querelam nullitatis *fanabilis*, eo casū, quo de priuilegio demum conce-  
dendo agitur, statim adparer, a voluntate Imperato-



ris omnino pendere, qua ratione & sub quibus conditionibus & limitationibus priuilegium concedere velit. Posse igitur Caesarem, dum concedit priuilegium, vel hoc ad querelam nullitatis insanabilis expresse extendere, vel querelam illam diserte excipere, ut institui non obstante priuilegio possit coram summis imp. tribunalibus, nulli dubio obnoxium esse videtur.

*Schol.* Confirmantur haec iis, quae in condenda Pace Westphalica de his priuilegiis acta sunt. Cum enim Legati Suecici Instrumento Pacis hanc legem inserere vellent: *Priuilegia de non adpellando etiam querelas nullitatis excludant;* monuerunt ad hunc passum Caefarei: *Ist allezeit ein Reservatum Imperatoris gewesen, dessentwegen Privilegia zu ertheilen.* a MEIERN Act. Pac. Westphal. publ. Tom. IV. pag. 492, 494.

### §. XXVIII.

Quodsi ad ea priuilegia, quae Statibus Imp. iam concessa fuerunt, animum aduertas, & de eorum interpretatione quaestione instituas, his quidem regulis caussam dirimendam esse puto:

I. Si in priuilegio de non adpellando *querela nullitatis* expresse & nominatim prohibita est, querela nullitatis insanabilis tali priuilegio omnino excluditur.

II. Si priuilegia de non adpellando non quidem expresse & nominatim prohibent remedium nullitatis, sed tamen prouocationes generatim institui ventant,

◆◆◆◆◆

31

tant, verbis: *es soll nicht appellirt, supplicirt, noch reducirt* (vel *prouocirt, querulirt,*) werden, querela nullitatis insanabilis itidem pro exclusa haberi debet.

III. Sin priuilegia de non adpellando neque expresse de querela nullitatis disponunt, neque verbis istis generalioribus concepta sunt, sed solo *appellationis* vocabulo vtuntur, & de adpellatione sola statuant, querela nullitatis insanabilis priuilegiis non excluditur, sed, remota licet adpellatione, institui potest coram supremis Imp. tribunalibus.

#### §. XXIX.

*Prima regula vix indiget probatione.* Quod enim priuilegio expresse concessum est, cur stare prohibeatur? Neque aliam ac nullitatis *insanabilis* querelam intelligendam esse, exinde sequitur, quod querela nullitatis sanabilis per se iam cessa exculsa adpellatione (§. XXVI.), adeoque, si praeter appellationem aliud remedium sub nomine querelae nullitatis expresse prohibeatur, hoc de querela nullitatis insanabilis accipiendum sit. Hinc GAILIVS quoque, LAVTERBACHIVS, & ex antiquioribus alii, qui nullitatis deductionem per priuilegia de non adpellando alias excludi negant, casum tamen excipiunt, si remedium nullitatis priuilegio expresse interfert reperiatur.

#### §. XXX.


Quam secundo loco posuimus, regula argumentis,



tis, quae sequuntur, potissimum firmatur. Primo verba illa: *appelliren, suppliciren, reduciren, prouociren, queruliren*, non frustra adhibita esse, nec sensu carere, sed effectum omnino sortiri debere, euidens est. Quid autem his verbis comprehensum sit, exposuit PVEFENDORFIUS T. III. Obs. 102. §. 7. 8. Quae si perpendas, verba haec per se iam ad omnes caussas ad superiorem instantiam deferendi modos spectare, adeoque priuilegia de non adpellando verbis iis concepta omnia remedia, quibus in superiorem instantiam deducuntur caussae, ergo etiam querelam nullitatis insanabilis (vid. §. II. IV. VI.), omnino excludere, adparebit. Idem quoque indicant verba, quae in eiusmodi priuilegiis saepe occurrunt: *die ... Erkenntnisse, Urtheile, &c. sollen ganz kraeftig und maechtig seyn, stets bleiben, und vollstrecket werden;* haec enim caussas in iudiciis statuum Imp. decisas per querelam nullitatis ad alia iudicia in superiori instantia denuo deferri non patiuntur.


### §. XXXI.

Sed suppetunt praeterea alia argumenta, quibus recte pensitatis, verba illa in priuilegiis de non adpellando obvia in propria, quam retulimus, significacione accipienda esse, clarius adhuc patebit. Sic Priuilegia Electoribus indulta, & verbis illis concepta, ad normam Aureae Bullae speciatim concessa fuere; vel ita, ut ad legem Carolinam nominatim ad-



adcommodata sint, quod contigit in priuilegio El. Brunsu. Luneb. de 1716. verbis: *nach Ziel und Maas der güldenen Bull;* vel ita, ut perinde, ac in A. B. factum, solum denegatae iustitiae casum expresse excipient, quod v. c. obtinuit in priuilegiis El. Moguntin. Treuir. & Coloniensis. Iam cum ius de non adpellando in A. B. constitutum ad nullitatis quoque querelam pertinuerit (§. III.), priuilegia illa verbis ipsis generalibus concepta, quae ad A. B. sese referunt, vel dispositionem eius imitantur, non minus late patere, manifestum est.

Accedit, quod interdum, vbi in priuilegiis limitatis, antiquioribus temporibus concessis, querela nullitatis nominatum prohibita erat, priuilegia nouiora eaque illimitata verbis ipsis generalibus: *nicht appelliren, suppliciren, &c.* concepta deinde fuerint. Sic in priuilegiis limitatis, SERENISSIMIS HASSIAE LANDGRAVIIS a. 1631. & 1650. indultis, expresse dicitur: *derselben Appellation, Supplication, Reduction, Revision, oder Nullitaet-Klage, oder einige andere Zugs- oder Prouocations - Mittel, wie die immer erdacht oder genannt werden;* in nouioribus vero priuilegiis illimitatis de 1742. & 1747. generatim tantum mentio fit der Appellation, Supplication, Prouocation, oder Reduction. Iam, nisi antiquiora illa priuilegia nouioribus restringi statuere velis, quod quam absonum sit nemo non videt, verba ista priuilegiis nouissimis inserta non minorem, quam antiquiora priuilegia, vim ha-



habere, adeoque ad querelam nullitatis pertinere debent. Ut taceam, in ipsis antiquioribus priuilegiis verba, quae sequuntur: *und dieselbe Apellation, Reduction, und Supplication*, ad praecedentia se referre, adeoque nullitatis querelam, de qua mentio antea iniecta, comprehendere. Ita etiam in priuilegio Schwarzburg. de 1697. & in priuilegio Ingelheimensi de 1680. dicitur: *So wenig ratione nullitatis als iniurias nit appelliren, suppliciren, noch reduciren sollen noch moegen.*

Deinde in priuilegio *Potentissimo Borussorum Regi* ratione terrarum non electoralium ao. 1746. concessso, postquam in initio inter caussas, quae nouo priuilegio ansam dederunt, & haec relata fuerit, daß sich - Freveler - gefunden, die - unter dem erdicketen Vorwand oder Namen von so betitulten unheilbaren Nullitaten - das Kayserl. Priuilegium zu eludiren gesucht, rei huic remedium quaeritur per dispositionem, daß durch niemand - appelliret, suppliciret, queruliret, noch reduciret werden solle oder moege; quae verba, ad querelam nullitatis insenabilis, de qua sermo erat in antecedentibus, excludendam adposita, in aliis priuilegiis eundem sensum recipient necesse est.

### §. XXXII.

Quae ex verbis priuilegiorum disputauimus, ea rationibus eorum magis adhuc illustrantur. Hae rationes eo potissimum redeunt, ut instantiae minuantur,

❖ ❖ ❖ ❖

tur, nec subditorum & litigitorum incommodo grauissimo ad iudicia Imp. denuo deferantur caussae coram iudicis territorialibus iam excusae; vti ipsa verba priuilegiorum testantur. Cum autem facillimo negotio nullitatis nomen ad quocunque grauamen adcommodari possit, statim adparet, quodsi caussae, quae ad supra adpellationum tribunalia, in locum iudiciorum Imp. surrogata, fuerunt delatae, sub praetextu nullitatis ad haec iterum perducantur, augeri tantum instantias & multiplicari, adeoque priuilegia de non adpellando subditis onerosa magis fore quam proficia. In eo vero casu, vbi, antequam concessa fuerint priuilegia, prouocationes ad supra adpellationum iudicia, & ab his demum ad iudicia Imp. dirigebantur, effectu plane carerent priuilegia, nisi prouocationes ad iudicia Imp. generatim prohibitas esse statuamus. Vid. Schol. ad §. XXIII. Nullitatis igitur querelam his priuilegiis excludi, fini & rationibus priuilegiorum admodum conueniens est.

### §. XXXIII.

In promptu denique sunt *praeiudicia Senatus Imp. aulici*, quae thesin nostram egregie confirmant.

Cum ao. 1649. contra iudicatum Consilii Sanctoris El. Bauar. querela nullitatis delata fuerit ad Senatum Imp. aulicum, reiecta fuit haec querela sequenti concluso de 7. Dec. d. a. notatu dignissimo:  
*Weilen das Herzogl. Bayrische Priuilegium nicht allein auf*



auf die Appellationses, sondern auch Supplications und was denen selbigen anhaengig, lautet; so koerne Reichs-  
kofrath nicht wohl seken, wie mit der gebetenen Cita-  
tion zu willfahren. IO. IAC. MOSER von der teutschen  
Iustitz - Verfassung, P. I. pag. 237.

Idem tribunal querelam nullitatis in causa co-  
ram iudiciis Brandenburg. decisa institutam, ob pri-  
uilegium de non adpellando El. Brandenb. compe-  
tens, ad Regem Boruss. tanquam Electorem Bran-  
denb. remisit d. 13. Aug. 1717. a COCEII in Iur.  
ciu. controu. lib. 49. tit. I. qu. 4.

Nec minus ao. 1752. querelam nullitatis contra  
sententiam supremi Tribunalis Cellensis motam reie-  
cit Consilium Imp. aulicum, publicato concluso: Hat  
die Klage gestalten Sachen nach nicht Statt, und werden  
Supplicanten damit von hier abgewiesen. a PVFFEN-  
DORF. I. c. §. 14.

#### §. XXXIV.

Quae contra principium, quod defendimus, ob priuilegia de  
non adpellendo, quae vel de nullitate expresse statuunt, vel verba:  
nicht appelliren, suppliciren, reduciren, continent, locum non am-  
plius esse querelae nullitatis insanabilis, monere solent dissentientes,  
paucis iam refellere studebimus. Diuersum ab adpellatione  
& peculiare remedium esse querelam nullitatis, non negamus, &  
ipſi ſupra docuimus; ſed haec ad noſtrā ſpeciem non pertinent,  
cum priuilegia, de quibus loquimur, non ſolam adpellationem,  
ſed remedia superioris instantiae generatim, prohibeant. Neque  
magis obſtat argumentum ex C. O. C. P. II. tit. 31. §. 14. de-  
ſumtum; haec enim lex, quae in caſſis criminalibus adpellatio-  
nem

nem solam prohibet, querelae vero nullitatis locum expresse relinquit, adplicari non potest ad priuilegia de non prouocando, quae de superiori instantia in genere disponunt. Ceterum ex argumentis a nobis adlatis abunde patet, insanabilis propriæ nullitatis querelam exclusam esse per priuilegia illa de non adpellando, ut igitur corruat eorum sententia, qui in dubio tantum querelam nullitatis sanabilis eiusmodi priuilegiis intelligi & excludi statuant.

§. XXXV.

Obiicit quidem b. a LUDOLFI in *Comm. de iure Camerali*, pag. 142., non praesumendum esse, ut ad tuendas nullitates insanabiles priuilegium valere possit; hinc, si actu existant eiusmodi nullitates, iurisdictionem summorum imp. tribunalium fundatam esse; per priuilegia vero, quae de nullitate loquuntur, id tantum intendi, ne ob quamcunque allegationem nullitatis infringatur ius de non adpellando. Sed monendum est primo, insanabiles, quas vocant, nullitates, teste experientia, praetexti quam saepissime sine fundamento. Deinde, si quis de tali nullitate in iudicis territorialibus inferioribus commissa conqueratur, ad superiora territorii iudicia causa deferri potest; contra sententias vero superemorum adpellationum iudiciorum locus dari nequei querelae nullitatis, cum nec tribunalia imp., quorum locum occupant illa iudicia, eam admittant. Saltem ad iudicia Imp. perdurare non potest querela nullitatis, propterea quod priuilegiis de non adpellando subordinatio etenim sublate sit, vid. §. XXII. Neque hoc legibus aduersari, patet ex C. O. C. P. II. tit. 31. §. 5., qua lege querelas nullitatis insanabilis infra summum adpellabilem prohibitas esse, supra (§. VII.) docui,

§. XXXVI.

De reliquo ea, quae de effectu priuilegiorum de non adpellando hactenus dicta sunt, non modo ad illimitata, sed etiam

E 3

ad



ad limitata priuilegia, quatenus haec competant, eademque certum adsint requisita, pertinere in aprico est.

### §. XXXVII

Supereft, vt de *tertia* regula; §. XXVIII. proposita, pauca addam. Ad ea autem priuilegia, quae de sola adpellatione agunt, recte adiplicari puto principium, remedium adpellationis & nullitatis esse diuersa, nec illa remota hanc censeri exclusam. Cauendum tamen, ne querela nullitatis, nisi vera & insanabilis adlit nullitas, in iudicis Imperii recipiatur, neque haec iurisdictionem vterius extendant, quam quoad iis competit in cauſis nullitatibus, vid. §. IX.


## CAPVT. III.

### DE EFFECTV PRIVILEGIORVM DE NON ADPELLANDO QVOAD QVERELAS DENEGATAE IVSTITIAE, MANDATA DE ADMINISTRANDO IVSTITIAM, ET ORDI- NATIONES.

### §. XXXVIII.

*Querelam denegatae seu protractae iustitiae* per priuilegia de non adpellando haud excludi, inter omnes fere conuenit. Expresso quoque excipitur haec querela in *Aur. Bull.* Cap. XI. §. 3. 4. & in quibusdam priuilegiis. Et licet non in omnibus priuilegiis haec exceptio nominatim occurrat, per se tamen eiusmodi priuilegia ad querelam denegatae iustitiae adiplicari non possunt, cum haec ad remedia superioris instantiae non pertineat, ad quae respiciunt ista priuilegia.

Nec tamen defunt alii limites, quos in recipiendis his querelis, ob priuilegia de non adpellando, praesertim illimitata, seruari fas est in summis Imp. tribunalibus. Sic 1), ubi supremum



num adpellationum tribunal institutum est, querela denegatae iustitiae in causis, quae coram iudicis territorialibus isti tribunali subordinatis pendent, deferri non debet ad summa Imp. tribunalia, sed, tanquam per saltum instituta, reiicienda est. Vid. deductiones *Hafso-Darmstadt. in causa Michelfeldensi.*

2) Cauendum omnino, ne ob grauamen, ad quod tollendum vel adpellationis vel nullitatis remedio vtendum foret, locus detur illi querelae ad eludendum de non provocando priuilegium. Vid. §. XI.

3) Cum naturae querelae eius & legibus generatim conueniat, non nisi caute & circumspecte adhiberi remedium illud, multo magis id obseruari debet in casu priuilegii de non adpellando praefertim illimitati, ob fortissimam, quae pro iudicis territorialibus inde emergit, praeumptionem. Hinc nunquam citatio super denegata vel protracta iustitia, nisi decretis antea promotorialibus, iisque pro re nata repetitis, decernenda est. Vid. §. XII.

#### §. XXXIX.

Quod ad mandata de administranda iustitia adinet, sunt, qui ea non obstante priuilegio de non adpellando decerni semper posse contendunt. Vid. a LUDOLFE de iur. Camer. sect. I. §. 14. membr. I. n. 7. in fin. SIPMANNVS I. c. §. 96. not. g. Licet autem hoc in vniuersum negari non possit, tamen, secundum principia §. XV. exposita, excipienda sunt mandata, quae quoad merita causae decerni solent; haec enim priuilegiis, quae iurisdictionem superioris instantiae generatim tollunt, omnino excluduntur, quod & rationibus horum priuilegiorum, quae causam in iudicis statuum Imp. decisam coram alio iudice de novo executi vetant, conueniens est. Exemplum petiti, sed denegati ao. 1771. in Cam. Imp. eiusmodi Mandati in causa der Gemeinde Weisbach contra Chursachsen, & quae iussu Sereniss. Electo-



Electoris Saxon. ob Priuilegium Saxonum de non adpellando  
monita ideo fuere, vid. apud CRAMERVM in den Nebenstunden,  
P. 119. p. 312. sqq.

§. XL.


*Ordinationes* principales generatim prohibendas esse, supra  
(§. XX.) obseruatum est. *Ordinationes* antecedaneae in cau-  
sis adpellationum omnino cessant, vbi obtinet priuilegium de  
non adpellando. Nec minus in cauiss nullitatum, quatenus  
querela nullitatis priuilegio excluditur; alias ad iudicem Came-  
rae immediate subordinatum in eiusmodi cauiss dirigi possunt,  
modo regulae §. XX. & XXXVII. traditae obseruentur. Ordin-  
ationes accessoriae, quatenus in cauiss principali fundata est  
iurisdictio, secundum principia supra exposta locum habere  
possunt. In cauiss denegatae iustitiae cauendum, ne loco pro-  
motorialium statim quoad merita cauissae quid iniungatur per  
ordinationem.

§. XLI.

*Litteras pro informatione* decerni non posse a summis Imp.  
tribunalibus, nisi iurisdictio eorum in causa principali fundata  
sit, recte tradunt LIMBACH. in process. informat. Cap. 3. & TA-  
FINGERVS §. 756. Hinc, vbi adpellatio & querela nullitatis ob-  
priuilegium cessant, in his cauiss informatio non recte exigitur.

Nec generatim a iudice intermedio illam petere possunt  
suprema Imp. tribunalia.





*56.*

**ULB Halle**  
005 120 055

3



TA->OL





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



COMMENTATIO IVRIS PUBLICI GERMANICI

DE

PRIVILEGIORVM DE NON ADPELLANDO

S. R. I. STATIBVS CONCESSORVM

EFFECTV

QVOAD QVERELAS NVLLITATIS,  
QVERELAS DENEGATAE SEV PROTRACTAE IVSTITIAE,

MANDATA DE ADMINISTRANDA IVSTITIA,

ET ORDINATIONES.

AVCTORE

HELVICO BERNHARDO IAVP,

IVR. DOCT. ET PROF. PUBL. ORD.

2. I. Giß. 1777. Editio secunda

GISSÆ,

APVD IO. IAC. ET IO. WILH. BRAVN, ACAD TYPogr.

1792.